JODUM EJUSQUE PRAEPARATA
RESPECTU CHEMICO-PHARMACOLOGICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS
SPECTABILIS
DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
AC
PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS
IN
ALMA AC CELLEBERRIMA REGIA
SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSI
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

SALOMON LIPPE,
HUNGARUS PUCHÓVIENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
die mense 1845.

Pestini.
Typis Josephi Beimel.

Est etiam non infimum meritum, aliorum praeclara observata colligere, et illa saluti communi pervulgare

(M. Stoll. Rat. medendi P. 111.)

— — — —, Daß ein in großer Menge in allen Provinzen vorkommender Körper, auch eine weit ausgebreitete Nützlichkeit, und Brauchbarkeit besitzen müsse, und zu den dort lebenden thierischen Organismen in mancher wesentlichen Beziehung stehe. Diese Beziehungen, in soweit sie die Krankheiten des menschlichen Geschlechtes betreffen, auszufinden und sie zum allgemeinen Wohle zu benützen, ist die Aufgabe eines jeden Arztes.

(Moijsisovics.)

MÉLTÓSÁGOS

PUCHÓI ÉS CSÓKAI

MARCZIBÁNYI ANTAL URNAK,

CS. KIR. KAMARÁSNAK

ÉS

TEKINTETES NEMES TRENCSÉN MEGYE

FŐISPÁNJÁNAK

'sat. 'sat.

A'

Király 's a' Haza

a' Tudomány 's Emberiség

ügyében

FÁRADHATATLANÚL BUZGÓ FÉRFIÚNAK

minden jó és szép

hő keblű előmozdítójának

NAGY KEGYŰ PÁRTFOGÓJÁNAK

határtalan

tisztelete jeléül

ajánlja

a' szerző.

Méltóságos Ur!

Azon nagylelkü serkentés, mellyel MÉLTÓSÁGOS ÚR! bennem a' tanulás vágyat ébresztette, több évek óta szívemben a' háladatosság leghatósb lángját élesztette.

Midőn tehát most az akademiai pályát lefutottam, és tudományi képességem jelét a' nyilvánoságnak átadom: bátorkodom fáradtságom e' csekély zsengéjét mint mély hódolatom első virágát MÉLTŐSÁGOS ÚRNAK ajánlani.

Ugyan azon jó akaratú készséggel, és ritka emberszeretettel, melly ÖN MÉLTÓSÁGÁT Felséges Királyunknak és szeretett Hazánknak olly kedvessé teszi, tőlem is a' hálaadatoságom e' csekély jelét elfodagni méltóztatott. A'

miért is egyéb óhajtásom nincs, minthogy tövises pályámon, hol egész életemet a' szenvedő emberiségnek szánandom. MÉLTÓSÁGOD kegyét birhatni szerencsés legyen

Méltóságos Fő-Ispán Ur

alázatos szolgája
a' szerző.

PARS CHEMICA.

§. 1.

Jodum, Jodine, Jodina hung. Iblany, germ. Jod (a *Τό Ἴον* viola et *ἰώδης* violae coloris) Form. J. pond. mixt. **126** (Gmelin) praelucente Courtois chemicis Praeparatis operam navante, **1812** primum innotuit, atque per Clement, Davy uberius vero et perfectissime per Gay-Lussac chemicae ejus proprietates detectae **1813** — **14**, in medicinam introductum est a Coindet in Gallia, a Formey in Germania.

§. 2.

Ocurrit in natura. I-o mineris junctum tanquam Jodetum metallum ut: Jodetum hydrargyri, Jodetum argenti Del Rio (Vauquelin) — hydrojodas ammoniae sali ammoniaco junctum; in fodinis Lythantracum Commentryii (Bussy) — Jodetum kalii vel natrii; in nitrate natrico Chili (Hayes, Lambert).

II-do. In aquis muriaticis, ut Jodetum natrii, calcii, magnii, sic: Sülze Meklenburgii (Krüger); Salzuffeln et Königsbrun penes Unnam (Brandes); Hallae Saxoniae (Meissner); Schmalkalden (Bernhardy); Salzhausen et Kreuznach (Liebig); Rolechow et Drachobycy in Gallicia (Torosiewicz); Kenahwa Americae septemtrionalis (Emmet) et p. a.

III-o. In aquis mineralibus, praecipue: Thermae de Albano (Raggazini); Fontes ad Sales Piemontii (Angelini); Aquae sulfureae de Castel nuovo d'Asti (Cantu); Karolobadini (Creuzburg, Neutwich, et Pleischl); Hei-

delbrunn Bavariae — multum de Jodo — (A Vogel); Aquae sulfureae de Trutkowiec et aquae alcalinae de Iwonicz in Gallicia (Torosiewicz) *).

IV-to. Aquae marinae, minori tamen, quantitate vix detegibili Jodum continent, scatent e contra Jodo plantae maritimae, occurrens ut Jodetum kalii — natrii — calcii — magnii, et ex cineribus illarum per aquam elixando obtinere potest. Plurimum cineres specierum Fuci et Ulvae.

Ex animalibus maritimis Jodum copiosum possident plures species Rhizostomae et Cyanae (Sarphati); oleum jecoris Azelli, i. e. oleum ex hepate Gadi Morrhuae et aliarum Gadi-specierum — (Hopfer de l'Orme, Hausmann, Brandes).

§. 3.

Paratur **): Cineres Fuci et Ulvae specierum tanquam Varec et Kelp — up. plantae maritimae in Littori-

---

*) In chara nostra Patria indefessus Hydrographiae Hung. et Transilvaniae cultor celeberr. ac Spect. Pr. Tognio in aquis mineralibus Hung. sequentibus detevit Jodum.

A) Aquae acidulae alcalinae: Túrna, Sztrezsenicz, (C. Trencsin). — Bártfa, Hosszúrét, Czigelka, Dubova, Niklova, Sávnik. Radoma (C. Sáros.) — Rank et Herlány, (C. Abaujvár.) — Szalatna, Szántó, (C. Hont.) — Szécsény, Kovácsi (C. Neograd.) — Baczuch (C. Solnen.) — Kostrina, (C. Ung.) — Avas-Ujfalu, Bikszád, Turvékony, Felső-Bánya, Felső-Fernezelly, (C. Szatmar.) — Felső-Visó, Közép-Visó, Borsa, Borkút, Bocskó-Rahó, Luchi, Kvaszna, Gloód, Szaploncza, Visk (C. Marmaros.) — Béb v. Ugod (C. Veszprim.) — Jeszeró, Sóskút, Tarcsa (C. Castroferrei).

B) Aquae sulfureae, Egeg, Gyügy, Mére, Magyarad? (C. Castroferrei).

C) Aquae muriaticae: Pólhora (C. Arvens.) — Alsó-Sebes, Finta (C. Saros.) — Nagy-Ivány (C. Heves.) — Királymező (C. Marmaros..) — Baranda, (Dist. m. garm. Illyrici.) — Sztari-Szlankament, hung. Ó-Szalánkemén (D. M. Petervarad.) — Misz-Mogyorós (C. Szathmar.)

D) Thermae: Mehádia (D. M. valachico-Illyrici) — Harkány (C. Barany) — Nyitraszég (C. Bars.) Wagner Ch. Dr. etiam in Thermis Lippik (Slavoniae) evenit Jodum.

**) Maxima pars Jodi in quaestu occurrent, paratur Glasgowii in Scotia.

bus projectae colliguntur, siccantur, ut in fodinis planis comburuntur, in quibus cineres accumulatae funduntur (cum ex salibus fusibilibus constent) frustae haec contusae Kelp nominantur — cum aq. calida elixantur, Lixivium per repetitam evaporationem et refrigerationem a salibus crystallisabilibus (chloretum kalii-natrii, carbonas-sulfas natri) eliberatur; Lixivium haec ratione depuratum praeter Jodetum natrii adhuc sulfuretum natrii, et sulfitem natri tenens uni ex sequentibus vario modo parandi methodis subjicitur.

Imo Lixivium cum acido sulfurico calefactum, sublimationi exponitur ($NaJ + {}_2SO_3 = NaO, SO_3 + SO_2 + J$) — haec methodus non valet, quia acid. sulfurosum cum una parte Jodi, praesente aqua decomponuntur in acid. hydrojodicum et acid. sulfuricum (Soubeiran).

II-do. Lixivium cum acido sulfurico et hyperoxydo mangani calefactum sublimationi traditur ($NaJ + {}_2SO_3 + MnO^2 = NaO, SO_3 + MnO, SO_3 + J.$) (Wollaston) v.

III-o. Lixivium post exsiccationem cum hyperoxydo mangani altiori temperaturae exponitur, in vase ferreo sub continua agitatione ad candescentiam usque, quo facto omne sulfuretum et sulfis natri in sulfaticos sales mutatum est, — nunc tota massa aqua solvitur, filtratur, et trans filtrum vapores chlori tamdiu derivantur, donec Jodum amplius non praecipitatur (Borruel).

M o d u s d e p u r a t i o n i s. Jodum quacunque methodo obtentum cum modica quantitate aquae lavatur, trans chartam bibulam premitur, siccatur, et sublimationi subjicitur. Jodum in questu occurrens per solutionem in spiritu vini, filtrationem et praecipitationem per aquam penitus chemice depuratur (Serullas).

§. 4.

Proprietates occurrit forma lamellarum crystallinarum, nitoris metallici, coloris caeruleo-nigrescentis; ex solutione — v. g. acido hydrojodico — obtineri potest,

forma crystallorum figurae oblongae octaedricae cum basi rhomboidali; pond. specif. est 4,984; funditur 170°C. et ebullit 180°; evaporatur jam sub consueta temperatura, citius tamen dum humidum est, evoluto odore chloro simili; sapor est acerbus urens; cutim transitorie tingit colore bruneo-flavo, vapor Jodi coloris est eleganter violacei — unde nomen illius — et est gravissimus omnium corporum gasformium, pond. specif. illius est 8,716 (Dumas); solvitur 7000 partibus aquae in fluidum bruneo-flavum — aqua Jodica — aquae quae sales tenent nominatim salem ammoniacum vel kali hydrojodicum facilius Jodum solvunt. Solutio aquosa Jodi Solis luci exposita non eructat oxygenium uti chlorum, sed decoloratur et decomponitur per aquam in acid Jodicum et hydrojodicum; alkohole et aethere — 10 partibus — Jodum solvitur.

§. 5.

Reagentia Solutio Amyli cum Jodo dat insolubilem Unionem coloris pulcbre coerulei, unde etiam valde sensile reagent illius. Jodo libero Amylum mox provocat Praecipitatum coeruleum; si vero copulatum occurrit ut Jodetum solubile, tunc primo a copula lIberandum est, ut Praecipitatum obtineatur; optime hoc fit addendo chlorinam puram liquidam, attendendum autem ne superfluum addetur, quia secus formaretur Chloretum-Jodi, quod Praecipitatum coeruleum denuo solveret.

Fini huic obtinendo optime conveniret: si ad cylindrum — qui solutioni investigandae Amylo et aliquot guttis acidi sulfurici mixto replendus est, — gas chlori deriverentur, tunc superficies coeruleo tingetur colore (Graham)

N i t r a s a r g e n t i c u s in Jodoretis solubilibus suppeditat Praecipitatum pallide flavum, quod tam in acido nitrico, quam in Ammonia liquida est solubile — Jodetum Argenti — (differt a' chloreto argenti quod in ammonia liquida non sit solubile). S a l e s p l u m b i c i dant Praecipitatum flavum — Jodetum Plumbi — quod e liquido bullienti

forma lamellarum separatur. Cum Mercurio Sublimato corrosivo obtinetur Praecipitatum eleganter rubrum (Scharlachroth) — Jodetum Hydrargiricum. —

Chloretum Paladii vel nitras Palladii oxydulati deponit Praecipitatum bruneo-nigrum — Jodetum Paladii, — etiam in tenuissima solutione.

Ultimum hoc reagens juxta Lassaigne adhiberi potest ad determinandam quantitatem Jodi in aliqua solutione: 100 partes Jodeti Paladii tenent 70,34 Jodi.

Melius determinatur quantitas Jodi per solutionem constantem ex una parte sulf. cupri et 2¼ part. sulf. Ferri quae producit Praecipitatum insolubile albo-flavicans — Jodetum Cupri — ; 100 illius partes tenent Jodum 66,6.

§. 6.

Inquinamenta Graphites, Lythantraces, Arena Manganum, Antimonium crudum, Limaturi ferri. Deleguntur vero si Jodum sublimationi subjicitur per residuum, in quibus ulterius investigandum erit; vel solutione in Alkohole per residuum.

§. 7.

Uniones Jodi.

A) Jodum cum Oxygenio

I-o *Acidum jodicum Iblanysav Jodsäure Form.* JO_5 100 *part. Jodi* 75,96. *Oxygenii* 24,04.

Paratur in parvis, Jodum in Acido nitrico concentrato coquendo — oritur acid. Jodicum et acid. nitrosum — dein in temperatura 260 C. ad siccum evaporando (Connel).

In Magnis parat: Jodatem Barytae cum acido Sulfurico coquendo, acidum Jodicum eliberatum solvitur, solutum a' Sulfate Barytae per filtrum separando, et evaporando, obtinetur acidum Jodicum anhydrum cryssallisatum (Gay-Lussac)

Characteres Cryssalli sunt magni hexaedrici transparentes saporis acerbi acidi, magno caloris gradu decomponitur, in aqua facile solvitur, initio chartam lachmus ruffat ast tardius decolorat; metalla omnia oxydat excepto Auro, Platino; facile decomponitur per omnia acida.

Cum basibus acid. jodicum format Sales Jodates quae generatim obtinentur vel si Jodum cum basibus et aqua in contactum ponuntur — ab orto simul Sale hydrojodico ope Alkocholis depurandum — vel simpliciter, acidum Jodicum cum basi conjungendo. Character generalis illorum est: quod sint cryssallisabiles, coloribus characteristicis provisi, in aqua exceptis alcalibulis non solubiles et per calorem decomponuntur in Jodum, quod forma vaporum violaecarum evolat, et in oxidum metalli. Jodas Kalicus vero in Jodetum Kalii et oxygenium.

II-o *Acidum hyperjodicum Föliblanysav Uiberjodsäure Form.* JO_7, 100 *part. Jodi* 69,23 *oxygenii* 30,77.

Paratur hyperjodatem natricum cum accido nitrico diluto solvendo, solutionem per nitratem plumbicum praecipitando, ortum hyperjodatem Plumbi per acid. Sulfuricum decomponendo, evaporando crystallisando. (Benckiser) Cum acido muriatico decomponitur in chlorum, acid. Jodicum, et aquam; cum basibus format hyperjodates.

B) Jodum cum Hydrogenio

Acidum hydrojodicum Königblanysav Hydrojodsäure Form. HJ. 100 *part. Jodi* 99,22, *Hydrog.* 0,78.

Paratur forma gas: unam partem Phosphori cum 9 partibus Jodi in tubum vitreum uno fine clausum imponendo, pulvere vitri oblegendo et calefaciendo, addendo dein aliquot guttas aquae, evolvitur gas acidi hydrojodici remanente phosphite hydrico ($PJ_6 + 6HO = 3HO + PO_3 + 3HJ$) (Gay Lussac).

Forma fluidi: derivando gas acidi hydrothionici in aquam Jodo suspensam. (HS + J = HJ + S) (Kemp)

Characteres gasforme est excolor pond. specif. 4,443 in aqua facile solvitur Chartam lachmus ruffat odoris suffocantis, non ardet, nec combustionem sustentat, cum hydrargiro facile decomponitur in Jodetum Hydrargiri et hydrogenium; forma fluidi aeque est exolor, post aliquot horas vero in aere colorem acquirit rubrum, quoniam hydrogenium cum oxygenio aeris ath. aquam generat, et jodum eliberatum in parte acidi non decompositi solutum haeret.

Acidum nitricum et sulfuricum concentratum decomponunt acid. hydrojodícum — in aquam et Jodum — et ipsa acida decomponuntur. In Jodum per amylum reagere possumus, cum oxybasibus format aquam et Jodureta.

C) Unitur Jodum Nitrogenio, Carbonio Sulfuri, Phosphori, Chloro et Bromo.

D) Unitur quoque metallis more hallogenorum facile et energice in Sales et format. Jodureta vel Jodeta.

De unionibus praeparatorum officinalium specialius in parte pharmocologica.

PARS PHARMACOLOGICA.

§. 8.

Effectus phisiologici.

1-o Locales Forma concentrata Jodum adhibitum perfecte accedit naturae aliorum remediorum irritantium, imo magna Dosi adhibitum causticis adnumerari valet — Jodum affinitate sua chemica connubium iniens cum hydrogenio fluidorum partium organicarum in hydrojodicum transmutatur — Cuti applicitum provocat Dermatititem, exsudationem, et Epidermidis desquammationem; forma gas ir-

ritando agit in oculum, nasum, organa respirationis eliciendo Tussim, imo Bronchilitem.

2-o Interne sumtum — parva Dosi — tantum abest ut tractus intestinalis hujusque Glandulae alienationem patiantur, ut potius appetitus in sequelam irritationis incrementum aquirat, ast magna celeritate in massam sanguinis transit, imo aliquot minutis post ingessionem in urina id reperire valemus. In sanguine, Saliva, Sudore chemice exhibebatur a Cantu, Sobernheim, Simon e. p. a. — Orfila etiam in parenchymate organorum. — Diros tamen Effectus non dui Jodum celat protractiori tempore in usum, etsi parva dosi, vocatum, nauseam, salivationem imo vomitum et diarrhoeam in nonullis casibus secretionem Urinae copiosiorem conspicere licet; maximus vero Effectus is est, fortuitu praesentes Hypertrophias vel indurationes partium — Glandulae lymphaticae — sensim disparere.

Longiori tempore adhuc protracto usu dosis parvae symptomata intensiora apparent, communi nomine — Jodismo — insignita: digessio prostratur, appetitus disparet, sensus molestus et dolorificus in faucibus, regioneque ventriculi, diarrhoea aquosa cum colica, se insinuat; sed non tantum functione Intestinorum turbata, imo et nervis medullae spinalis e sui cardinibus volutis anxietas, palpitatio cordis, agrypnia, Cephalea, hallucinationes sensuum visus et auditus (Gairdner) saepe et Stupor (Lugol) caput suum protaeiforme extollere solent; verum et adfectionem nervorum motoriorum, se manifestantem tremoribus Extremitatum et convulsionibus multis observatis (Mansor, Dürr) sat evictam habemus. Plurimis in casibus apparent et sudores, Erythemata, Efflorescentiae cutaneae — Prurigo, Eczema, Urticaria — Dermatitis; imo vero nisu sexuali mirum in modum exaltato, catameniis a' norma sua deviantibus, testibus virorum, ac mammis muliebribus atrophia devastatis, haud illius in organa genitalia quoque effectus negandus; Aeger pinguedine sensim sensimque

evanescente, emanciatione in diem progrediente inter dirissima symptomata interminatur.

3-o Magna dosi Jodum ejusque praeparata ingesta indolem acrium imo corosivorum inducunt, ast Dosis magnae cynosuram rectam statuere haud possibile est, observatoribus magnopere inter se discriminantibus — jam ídeo cum unum idemque Praeparatum non semper eandem quantitatem Jodi teneat — ; praeterea virtus illorum multum pendeat a contentis ventriculi tam secretis, quam alimentis ingestis postremis praecipue amylum tenentibus; hincque excitant: vomituritiones, vomitus, diarrhoeam, dolores intensos — gastro-enterititem — palpitationes cordis, tremores, anxietatem, dispnoeam animi deliquium imo et mortem. Farrago eorundem Effectuum imo adhuc intensiorum producitur si venis injiciatur. Textui vero subcutaneo — vulneribus — imposita localiter irritante sua ac caustica vi insidias struunt. (Orfila).

§. 9.

Laesiones post mortem.

Ubique symptomata physicalia Gastro-enterititis se produnt: membranae mucosae ubique sunt sanguine injectae incrassatae, nonnunquam emolitae, facile lacerandae non raro inveniuntur erosiones, hic inde ulcuscula, echymomata, et membrana mucosa ventriculi — apud intoxiationes cum Jodo puro — intense colore flavo tincta.

§. 10.

Usus therapenticus.

Recentissimis temporibus remedia Jodi tantam nacta sunt famam, ut vix morbus habeatur, in quo laudibus non extolleretur, et juxta nonnullos usus eorundem successu felici non coronaretur.

Indicatur Jodum ejusque praeparata.

1-o In omnibus exsadatis proteinaeformibus, et in horum sequelam ortis organisationibus sic dictis hypertrophiis et indurationibus organorum — multae formae morborum huc pertinent. — Dudum jam nota erat virtus illorum in affectione glandulae thyroideae — Struma — (Coindet, Formey) et etiam omni dubio superest; respiciendo vero solum indentitate denominationis Strumae c. augmento voluminis glandulae tyroideae, incassum adhibebatur; nam dantur causae aliae incremento glandulae tyroideae faventes per quas Jodo succurrere non valemus sic: Struma inflamatonia, concrementa calcarea, Cystides, Carcinoma, aneurysma Glandulae hujus, usum Jodi respuunt, insignem vero et certum effectum conspicere licet in Struma lymphatica, sic in indurationibus mammae, testium virorum, Uteri, Hepatis. Prostatae et aliarum glandularum lymphaticarum.

Effectu optimo quoque coronatur usus Jodi in scrophulosis affectionibus glandularum lymphaticarum et mesaraicarum, integumentorum communium, ossium, apparatuum articulationum — Gonarthrocace, Coxathrocace, Pedarthrocace — juxta Coindet et Wutzer tantum in Scropulosi sic dicta torpida, fulcrum sat firmae basi inhaerens, nullus tam facille vacillandum reddet.

2-o In omnibus morbis ex dyscrasia sanguinis originem ducentibus, infallibilem et specificum effectum exerunt remedia Jodi — praecipue Kali hydrojodicum — in morbis syphiliticis membranarum mucosarum, Glandularum, intugemmentorum communium, ossium, Periostei Iridis, (Wallac Ricord,) in specie in Individuis scrophulosi vel hydrargirosi notatís.

In hydrargiorosi effectum bonum exeruisse experimenta multorum monstrat.

3-o In hyperaemiis, et stasibus cum exsudatis seroso-fibrosis membranarum sero-

sarum, sic in pseudo membranis, inflammationibus adhaesivis, potius in illorum residuis, in inflammationibus chronicis ejusque sequelis: uti in conjunctiva, Tonsillis, cuti externa, tandem in exsudatis serosis Pleurae, — Peritonei — Panniculi adiposi.

Huc quoque referuntur omnes chronicae affectiones cutis externae — Prurigo, Lichen, Impetigo, Herpes, Psoriasis — praecipue vero tunc, ubi laesio cutis consistit in infiltratione, induratione vel hypertrophia ejus — Lupus, Acne, Elephanthiasis, — sic etiam ulcera torpida atonica cum fundo et marginibus induratis callosis.

In usum quoque vocatur Jodum in affectionibus membranarum-mucosarum uti in blennorhoeis organorum Uro-genitalium, Intestini crassi, in illarum exulcerationibus et excrescentiis.

Tandem in diversis morbis texturae fibrosae nomine — Rheumatis et Arthritis — apellatis.

4-o In Nevrosibus uti in Spasmis, Paralysibus, usus tunc insignitur, si laesiones primariae — quarum effectus tantum sunt — jodo sanantur v. g. Processus exsudationis.

5-o Qua Antidotum in intoxicationibus a Strychnino, Brucino, Veratrino productis. (Donné *).

§. 11.

Externus usus Praéparatorum Jodi.

Plerisque in casibus (§ 10) simul cum interno usu locum habet vel etiam illius loco; Effectus vero solus vel maximus ab externa ejus applicatione dependet in morbis sequentibus:

1-o In chronicis inflammationibus localibus externis cum exitibus suis secundariis: uti in exsudatione, induratione, incrassatione, ulceribus.

---

*) Pr. Sauer insigni successu adhibet kali hydrojodicum (gr. 10 in decocto Salep) in Typho abdominali.

2-o In exsudatis serosis cavorum articulationum — hydrathrosis — Tunicae vaginalis — hydrocele — ultimo in casu injectiones factae sunt ad inflammationem adhaesivam producendam (Velpean, Martin).

3-o In indurationibus, hypertrophiis glandularum lymphaticarum, thyroideae, mammae (§. 10 — 1-o) in tumoribus fibro sis Uteri.

4-o In affectionibus blennorhoicis membranarum mucosarum — Fluor albus. —

5-o In Exanthematibus chronicis.

Omnibus his in casibus remedia Jodi in diversis concentrationis gradibus et formis, uti: solventia, irritantia, alterantia, caustica, adhibentur, forma solutionum, fomentorum, injectionum, balneorum et unguentorum.

§. 12.

Contraindicationes.

Interdicitur illius usus:

1-o In omni diathesi inflammatoria, praecipue Tractus intestinalis, organorum respirationis et circulationis, dein in congestionibus, haemorhagiis habitualibus Uteri — Tempore Catamaeniorum — et Pulmonum.

2-o In omni dispositione erethistica systematis nervosi,

3-o In omnibus Individius exhaustis, debilibus, usus Jodi est magnopere restringendus.

Regula Generalis est: incipiendo cum dosibus parvis, sensim sensimque ascendendo, intervallis non nimis parvis.

§. 13.

Antidota.

Inter praecipua merentur, Lac, Opium, aqua saccharata (Coindet) mucilaginosa, praestantissimum vero est Amylum aqua solutum (Buchner).

PRAEPARATA JODI OFFICINALIA SPECIALIUS PERTRACTANDA.

§. 14.

Jodum.

Proprietates physicas et chemicas expositas habemus (§ 3, 4, 5, 6,).

Usui interno hocce remedium pro se sine copula non valet, quia facile decomponitur et vix ingestum provocat ardorem, nauseam, vomitum; saepius in nexu cum hydrojodate Kalico tam interne quam externe. (§. 17)

§. 15.

Tinctura Jodi.

Paratur: 48 gr. Jodi solvendo in unc. 1 spiritus vini.

Aeque usui interno non conveniens praeparatum, nam in decompositionem facile pronum, oritur hydrojodicum et aether jodinicus agente luce; simul stipatur iisdem molestiis post usum internum ac Jodum.

Externe adhibetur in omnibus casibus usum remediorum Jodi indicantibus (§. 11) praecipue effectum vehementiorem poscentibus — Lupus, Sycosis etc. —

Dosis et Forma scrup. 1 — dr ½ ad unc. 1 adipis forma Unguenti (in solutione decomponitur.)

§. 16.

Jodetum sulfuris, Kéniblag, Jod-Schwefel.

Paratur utramque substantiam — (4 part. Jodi et 1 part. sulfuris) — calefaciendo.

Characteres sistit massam chalibeo-griseam, odoris et saporis Jodi, altiori temperatura decomponitur, Jodum forma gas fugatur, remanente sulfure; aqua totum, alcohole pro parte solvitur.

Indicatur in inveteratissimis chronicis exanthematibus et syphiditicis — Lupus, Lepra, Psoriasis —

Dosis et Forma: scrup ½ — 1 ad unc. 1 pinguedinis forma Unguenti.

§. 17.

Jodetum Kalii, Kali hydrojodicum, hydrojodas Kali, Hamiblag, Jodkali Form. K. J. 100 *part. Kal.* 23,67 *Jod.* 76,33

Paratur pro usu pharmacologico optime: Limaturam ferri — (part 1) — in crucibulo aqua repleto cum Jodo — (4½ part.) — agente calore penitus solvendo, oritur joduretur ferri in aqua solutum, liquido nunc filtrando coquendo et carbonatem Kali addendo, carbonas ferrosus et oxydum ferri praecipitatur, liquido nunc denuo filtrando, edulcurando, evaporando, crystallisandoque (de Baup) ($Fe_3 J_4 + 4KO, CO_2 = FeO, CO_2 + Fe_2O_3 + JK$)

Characteres occurrit forma crystallorum cubicorum transparentium, saporis acris, salsi, sub candescentia rubra funditur et fugatur, facile aqua solvitur et reagit alcaline, in aere persistit — si purum est —; solvitur quoque aethere, quo ab inquinamentis depuratur.

Inquinamenta: bicarbonas, sulfas et Jodas Kali; Choloretum Kalii; inquirimus: Kali hydrojodicum in acido sulfurico diluto solvendo, si effervescat bicarbonatem; si bruneo vero tingitur colore — a' Jodo libero — Jodatem Kali tenet, acid. up. hydrojodicum ortum decomponit acid. Jodicum ($JO_5 + 5JH = 5HO + 6J$); Sulfas Kali detegitur calefaciendo cum acido nitrico diluto et addendo nitratem Barytae orto praecipitato. Praesentia Chloreti Kalii demonstratur: Solutioni Kali hydr. miscendo nitratem argenti tamdiu, donec praecipitatum instar floccorum alborum oritur, nunc addendo Ammoniam puram liquidam sub continua agitatione et filtrando; et si fluidum modo ab jodeto-argenti filtratum, cum acido nitrico det praecipitatum albo-caseosum, adest Chloretum Kalii — consis-

tit tota agendi ratio in solubilitate chloreti-argenti in Ammonia, insolubilitate vero jodeti-argenti (H Rose)

Effectus illi reliquorum Jodi et ejus Praeparatorum similis.

Indicatur. Hoc inter omnia Praeparata Jodi est praestantissimum et usui medico convenientissimum, cum omnes reliquorum Praeparatorum virtutes possideat, liberum vero ab illorum noxis; hinc in omnibus casibus (§ **10**, **11**) adductis adhibetur.

Dosis et forma gr. **3** — **6** pluries de die ascendendo ad gr. **15**—**30**; forma solutionis — quia per omnia corpora facile decomponitur — optime in aqua destillata simplici. Inde a Lugol adhibetur cum Jodo puro gr. **1** — **5** in Lagena nigra.

Externe aeque plurimis in casibus cum Jodo mixto in usum vocatur; Jod. gr. **10** Kali hydrojod. scrup. **1** — dr **1** in aqua destillata unc **1** forma solutionis vel cum adipe unc $\frac{1}{2}$ forma Unguenti; — si pinguedo rancescat evolvitur acidum proprium (Fettsäure) se jungens cum Kali in salem proprium, et Jodum eliberatur, unde Unguentum flavum fit, — ideo Unguentum semper est recens parandum, et non pro longiori tempore (optimum est ceratum simplex vel Oleum amygd. dul). Ad causticum effectum producendum: unc **1** Kali hydroj. unc $\frac{1}{2}$ Jodi et unc **2**. aq. dest.

Forma balneorum juxta Lugol Rp. Jodi unc $\frac{1}{4}$ Kali hydrojod. unc **1** aq. destill. unc b m. ex hac solutione infunditur ad balneum tamdiu, donec tota aqua flavescat sub Temperat. 28-o 30-o R.

§. 18.

Jodetum Plumbi, Olomiblag, Jodblei Form. P. 6. J.

Paratur solutionem salis plumbici per hydrojodatem Kali praecipitando.

Characteres. Est pulvis coloris flavi in aqua vix solubilis.

Effectus est similis praeparatis mitioribus plumbi.

Indicatur in morbis scrophulosis, et in tumoribus glandularum externarum (Cottereau, Delisle, Velpeau, Preira) tam externe quam interne.

Dosis et forma gr 2—6 pluries de die forma pulveris pillularum; externe forma Unguenti 1 pars praepar. ad 2—6 part. pingendinis.

§. 19.

Joduretum ferri, Vasiblacs, Eisenjodür Form. Fe J. 100 *part. ferri* 17,68. *Jod.* 84,32.

Paratur, partes aequales Jodi et limaturae ferri urendo — vel digerendo in aqua.

Characteres via sicca paratum coloris est brunei, via humida coloris coeruleo-viridescentis, in aëre fatiscit, solvitur aqua et alcohole, facile decomponitur.

Effectus conjungit virtutem partium constitutivarum, non tantum resolvendo alterando agit, verum etiam tonisando.

Indicatur 1-mo in Scrophulosi; indurationibus, chronicis inflammationibus diversarum partium, praecipue in Individuis anaemicis debilibus.

2-do. In subjectis scrophulosis, morbo syphilitico secundario laborantibus.

3-tio. In Chlorosi; Amoenorrhoea scrophulosi complicata.

Dosis et forma gr. 2—6 pluries de die — forma solutionis in aqua destillata simpl. vel alcohole; arceri debet ab accessu lucis et caloris.

Cum vero hocce Praeparatum per omnia corpora imo facile spontaneum decompositionem patiatur — in Jodetum — plures excogitati sunt modi decompositionem praecaventes, inter haec plurimum valet saccharum — Syrupus ferri jodati — paratur secundum Wakenroder: anaticas quantitates (dr. 3) Jodi et ferri, aqua (dr. 6) infun-

dendo, oritur Joduretum ferri, nunc liquidum filtrando, residuum vero edulcurando donec totum (dr. 12) efficiant, addendo (dr. 10) saccharum album pulverisatum, et totam miscelam circumagitando, oritur Syrupus, qui initio est turbidus, tardius vero lympidus evadit et excolor, quaevis dr. hujus syrupi tenet gr. 6 Jodi v. gr. 7, 288. Joduretì ferri, hac ratione paratum 14 diebus immutatus manet, tandem flavescit Jodetum formatur, et amylum in illum reagit colore coeruleo.

Si dr. 1 hujus syrupi misceatur cum dr. ½ sacchari lactis, miscelam evaporando et residuo addendo saccharum ad dr. 2 usque, oritur terendo pulvis, qui in lageuis subere clausis per menses asservari licet, quin decomponetur; ex hoc pulvere cum pulv. rad. alth. parari possunt — Pillulae ferri Jodati.

Effectui pharmacologico securius et melius respondet semper recens paratum.

Externe adhibetur pro fomentis, injectionibus, enematibus dr. 1. in unc. 4—6 aquae.

Forma balneorum unc. ½—1 ad libr. 1 aq. *)

§. 20.

A) *Jodetum hydrargirosum, protojodoretum hydrargiri, Higiblacs, Quecksilberjodür Form.* Hg_2J. 100 *partes*; *Hg.* 61,58 *J.* 38, 42.

Paratur hydrarg. et Jodum (aa. Hg. J. 5.) invicem terendo affuso modico alcohole.

---

*) In Cottu Castroferreo (Vasmegye, Eisenburger C.) in limite inter Styriam et Austriam in pago Tazmanusdorf existunt aquae minerales, jam Romanis notae, quae prius pro aquis ferratis tenebantur, ast analysis chemica docuit: fontes illas continere praeter solventes neutros bicarbonates sales, magnam copiam Jodeti natrii, et ferri oxydulati, ex his patet insignis virtus illarum, in labefactata vita vegetativa, et debilitate systematis nervosi (Moijsisovics Darst. einer sichern und schnellen Heilmeth. der Syph. durch Jodpraep. Wiennae 1845 pag. 41-a).

Characteres est pulvis flavo-viridescens, in aqua alcohole insolubilis, solvitur vero aethere et solutione Kali hydrojod. repente calefactus ex toto sublimatur; leni igne expositus decomponitur in Hydr. et Jodetum.

Effectus interne summum sensum pressionis provocat, nauseam, vomiturītiones, magna dosi — gr. 20 — 30 ingestum irritando agit (Cogswell), et facile decomponitur influxu partium organicarum in Jodetum.

Indicatur in Scrophulosi, Syphylide, in chronicis Exanthematibus — Psoriasis — in induratione hepatis et juxta Ricord specifice in forma syph. pustulosa apud infantes.

Dosis et forma gr. ½ — 1 plur. de die, — forma pulveris pill. Rp. Protojod. Hydrarg. gr 6. Ext. Guajaci gr. 48 Ext. liquir. dr. ½ f. pill. Nro 48. consp. pulv. Lycopod. (Ricord.)

Externe forma Ung. scrup 2 ad unc. 1 ping.

B) *Jodetum Hydrargiricum, deutojodoretum Hyd. Higiblag, Quecksilberjodid. Form. Hg* J. 100 *part. Hg.* 44, 49, *J.* 55, 51.

Paratur v. simul terendo Hg. et J. (Hg 9. J. 11½ — 12) v. solutionem mercur. subl. corr. (p. 8.) per solutionem kali hydrojod. (p. 10.) praecipitando, haec quantitas pond. mixt. stricte observanda, quia major quant. K. hydrojod. praecipitatum solvit, major autem quant. Merc. subl. corr. Praecipitatum flavum — chloretum — largitur.

Characteres occurrit forma pulveris eleganter rubri aqua vix solubilis, alcohole, acidis et solutione K. hydroj. facile solvitur; ex solutione concentrata fervida K. hydroj. post lentam refrigerationem secedunt crystalli coloris rubri, leni igne expositus color ruber mutatur in flavum, in altiori vero igne funditur et sublimatur, forma lamellarum rhomboidalium coloris eleganter flavi, quae tritu colorem iterum rubrum acquirunt.

Effectus localiter applicitum intense irritando agit corrosivo analoge, interne hucusq. a paucis adhibitum.

Externe indicatur in ulceribus scrophulosis et syphiliticis, in Tinea, Lupo, Leucomate etc.

Dosis et forma mitiori modo p. 1. D. Hg. ad part. 30—40 ping. fortiori in casu pars 1 adp.; 4—10 p. ping.

THESES.

1. Remedia Jodi in Lue syphilitica hydrargiricis prae ferenda.
2. Anatomia pathologica non morbos, sed morbosum solummodo effectus demonstrat.
3. Anatomia microscopica Physiologiae basis.
4. Auscultatio pneumoniam interdum et ibi detegit, ubi reliqua symptomata eam non manifestant.
5. Morbi organici cordis quondam difficillime nunc perfecte, demonstrari possunt.
6. Genii epidemici cognitio, medico practico absolute necessaria.
7. Typhus abdominalis est morbus substantivus primarius; non vero secundarius.
8. Quo ditior medicus ratione, eo simplicior ejus Pharmacologia.
9. Pharmacologia experientiae super structa utilissima est.
10. Effectus medicamenti non solum ab hujus viribus, sed et ab organismi reactione pendet.